



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-537348-p0001-9

DFO

536

B. C. D.

D E

1687, 2

2493

M
9

IMPERIO PRIN- CIPUM SECULARIUM, circa RELIGIONEM & SACRA.

Præviò Consensu,
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS,

In

ACADEMIA PATRIA,

Publicè disputabunt,

P R A E S E S,

M. GEORGIUS FUNCCIUS,

Et RESPONDENS,
ERNESTUS FRIDERICUS MÜLICH.
Phil. & LL. Stud.

Ad diem XIII. Septembr. Anni M. DC LXXXVII.

H. L. Q. C.

REGIOMONTI,
TYPIS REUSNERIANIS.



1194.

PERILLUSTRI, MAGNIFICO
ac GENEROSISSIMO
DOMINO,
DN. JOHANNI ERNESTO
à Wallenrod /

Sereniss. ac Potentiss. Electoris Brandenbur-
gici &c. &c. Supremi in Prussia Regiminis Consiliario,
nec non Provincialis Aulæ Magistro,
Hæreditario Domino in Prachossen/Pretzelwitz/Alt-
stadt/Frgelack/Neuendorff/Wilkenhnen/Lippe &c.

Domino suo gratusissimo, Mæcenati &
Evergeta etatem devenerando.

Nec non.

V I R I S,

PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
DN. FRIDERICO Kupnern/

Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliario dignissimo,
Cameræ in Prussia Praefecto gravissimo, Bellicarum rationum Com-
missario eminentissimo, Districtuum Lithavicum, prædiorumq; adi-
privatum Principis Dominum attinentium Inspectori vigilansissimo.
Hæreditario Domino in Speichersdorff //

Aweyden &c.

Et

DN. JOHANNI Kettner/
Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliario gravis-
simo, ut & supremo intimorum Consiliorum Secreta-
rio designato, dignissimo.

Patronis ac Promotoribus suis Magnis:

Hanc Exercitationem Academicam in grati &
submissi animi estram, devotamente
consecrat

Humillimo iisdem additus cultu
ERNESTUS FRIDERICUS MÖLICH, Resp.



DEO AUSPICE!

§. I.

Antam in Rebus publicis, Religionis & Sacrorum esse necessitatem, ut absque iis, nec inter homines coiri possit Societas, nec Civitas extrui, nec denique imperium condī, multò minus diutius servari & ab interitu vindicari, adeò certum est, quam quod certissimum. Hac enim de causa, jam Aristoteles, non uno sane in loco inculcavit: Rēpublīcam sine Religione, consistere non posse. Sic Lib. 6. Pol. c. ult. *Necessaria*, inquit, *Magistratus sunt Officia circa rem divinam, circa rem bellicam, circa redditus publicos & impensas, circa forum, circa urbes & portus & regionem.* Et Lib. 7. Pol. c. 8. ubi ea, quæ ad Civitatis felicitatem ac Reipublicæ integratatem requiruntur, enumerat, disertè profitetur: Επιμέτρεις τοῦ θεον πενταετίας, ἐν τοῖς πόλις τοῖς ἀνθρώποις. *Cultum divinum, primum ex eorum numero esse, sine quibus, Civitas subsistere non possit.* Ad quem laudatum Aristotelis locum, Piccartus, Plutarchum, in Comment. ad v. Colot: c. 47. ita praeclarè dicentem, memorat. Facilius sibi videri, urbem sine solo condi, quām opinione de Diis peccatis sublata, Civitatem coiri aut constare posse; adeò Religionem, συνεκτικὴν ἴνας πάσοντος κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεσμα, Vinculum esse omnis Societatis, & Legum ponendarum, ac justitiae firmamentum. Et ita Justus Lipsius, in monit. Pol. c. 1. Sine Religione, inquit, non Princeps officium, non subditi facient; sine eā, Societas non erit, non justitia, non virtus; sed fraus, licentia, protervitas, & uno verbō, confuso rerum: quod freatum erit peccaturis? quis metus satis validus? nam exterrit illum, qui à pœnís aut morte est, multi contemnunt, & desperatio, impetus aut ira cundia, eō ducunt. Confer, Plato. lib. 10. de LL. Cicero L. 2. de LL.

¶

nec



nec non *Syntesis Orat. de Reg.* Proinde & Legislatores , omni tempore , pro fundamento bene gerendæ Republicæ , Sacra & Religionem posuere . Sic de *Tibero* , refert *Plutarchus in ejus vita* , quod in constituendâ Republica Atheniensium , pro fundamentô , Religionem posuerit . Et de *Numa* , Romanorum Rege , *Tacitus lib. 3.* narrat , quod Religione ac jure divinô , populum devinxerit , effeceritque , ut fides & jusjurandum , Civitatem melius , quam Legum poenarumque metus , regeret , *Conf. Cit. h. 2 de Natura Deorum* . Plura de his exempla , si quis desiderat , evolvat *Greg. Tholozanum l. 12. de Republ. c. 4. Daneum l. 1. Pol. & Keckermannum Curs. Philos. diss. XXXV. quest. 14.*

§ II. Quemadmodum verò , in hoc omnes hactenus consentiant , curam videlicet circa Religionem & Sacra , nec non ea , quæ ad horum conservationem pertinent , in Republicâ summè necessariam esse ; ita , penes quemnam hæc cura ac imperium seu jus sit , inter se valde discrepant . Alii enim , qui aulam lambunt Pontificiam , in defectu peccant , ac Seculares Principes , ab omni circa Sacra imperio & curâ alienos esse , volunt , folique Pontifici Romano , eandem committendam , statuunt . Hi , cum Petro à *Soto* , in assert. *Cath. Principi* , si quædam circa Sacra definire conetur (sat impudenter) dicere haut verentur , *Vade post me Sabana ! Conf. Bellarminus L. 3. de Lait. c. 17. & lib. de Cler. c. 28. Pesant. in add. ad quest. 41 d. 3. Tanner : Tom. 4. Theol. Schol. quest 4. dub. 6. Adam Conz. l. 6. Pol. c. 3. Boz. in lib. de J. D. & N. Eccles. potest : Guilhelm. Roff. lib. de Reipubl. Christi. in Reges impios autoritate , aliique . Hos , secundò , alii , in excessu errantes , excipiunt , qui potestatem Ecclesiasticani , totam Majestati C. vili assignant , & suppressò ministeriò , ad Principum voluntatem , omnia conformanda esse , existimant : id , quod *Megalander noster , nationes tuas quandam* , appellare solitus est , teste *Meissn. part. 3. Phil. Sobr. secr. 2.* Ab his denique utrisque , alii , divortium facientes , medianam viam eligunt , & ad Principes*

pes Seculares, imperium quidem, circa Religionem & Sacra pertinere, sed *limitatum ac restrictum*, defendunt; pro qua opinione, & melior, & major pars Politorum pugnat. Et hanc Sententiam, dum nobis quoque praesenti in discursu tueri, animus est, haut immerito, in limine statim, nobilem Potestatis Eccles. divisionem, cum *ipsis* notamus, eandemque præmitimus. Scilicet, *alia* est potestas, quæ versatur circa *interna* Sacrorum, & *Dogmatica* leu *ordinis* dicitur, *alia*, quæ circa *externa* Ecclesiæ occupata, & *archieponica* leu *Jurisdictionis* ac *Dominii* audit. *Illa*, circa verbi divini prædicationem, Sacramento-rum dispensationem, jus excommunicationis, jus solvendi & ligandi peccatores, &c. occupata. *Hec*, vocationem Ecclesiæ ministrorum, ordinationem festorum, jus Synodi nationalis congregandæ, jus puniendi delinquentes Ecclesiasticos, & alia hujus generis, concernit. Pro imperio itaque circa Sacra, Principum Secularium, dum pugnamus, non de *priori*, quod circa interna, sed de *posteriori*, quod circa externa occupatum, & *Jurisdictionis* dicitur, nobis res est, quod ipsum, cum senioribus Politicis, *Reinkingi* Lib. 3. de Reg. Secul. & Eccles. c. 1. *Robert. L.* 3. rer. jud. c. 1. *Arnif. l. 1. de jur. Maj.* c. 6. n. 10. *Conringi* disput. *de jur. Maj.* circa Sacra. *Libenthal.* exercit. IX, coll. Pol. *Becman. c. 7. Medit. Pol.* aliisque, *ipsis* concedimus.

§. III. Et, quod jure hoc circa Sacra externa imperium, Principibus Secularibus debeatur, his ulterius probamus argumentis (I.) Sine quo Reipublicæ finis, felicitas scil. Civilis, obtineri non potest, ad id se extendere debet imperium Civile. Fieri autem nequit, ut Felicitas Civilis comparari possit, citra curam Sacrorū ac Religionis, Ergo. *Major*, cum sua radiet luce, extra controversionem est. Quivis enim, qui vult finem assequi, eum quoque oportet habere media, quæ ad finem assequendum conducent, velut inductione constat. *Minor* ergo, probanda restat. Sed, quis eandem negaverit? annon enim obedientia



erga leges & virtutis studium, quam multum facit, ad obtinen-
 dum Reipublicæ finem? Sed, nullum ex omnibus illis mediis est
 efficacius, quam Religio, quæ timorem erga Deum graviter
 præcipit, ut, quæ leges Civiles & Principum auctoritas pervenire
 nequeat, id ipsum Religio impetraret. Proinde Civibus incum-
 bit, legibus à Majestate Seculari, etiam circa cultum divinum
 præceptis, obedire, ita, ut in eos, qui securi fecerint, habeant po-
 testatem coercendi & puniendi. Ut, si malo quis exemplò tur-
 bare felicitatem illam communem velit, in ipsum animadver-
 tere debeant, nunc exiliò, nunc suppliciò capitali, ne scilicet ex
 eorum nimia clementia, Respublica detrimentum capiat.
 (II.) Si Majestas, Summa est in Civitate ubique potestas, teste
Pbil. 3. Pol. 6. omnia ea, quæ sunt in Respublica, universali hujus
 Majestatis imperio, erunt subjecta. Jam vero, Ecclesia est in
 Respublica, non Respublica in Ecclesiâ, secundum *Optatum Mi-*
levitanum lib. 3. ad. Donat. Ergo, & necessariò Ecclesia, quatenus
 est membrum totius Reipublicæ, etiam totius imperio, erit
 subjecta; aut, si lecus, duo in eadem Respublicâ erunt summa, al-
 terum, quod in Civilibus, alterum, quod in Sacris occupatur,
 quod tamen absurdum. His (III.) accedit, quod tum *jure Di-*
vinô, tum *humano*, hoc Principum Secularium imperium, sit
 approbatum. Sic de *Moyse*, *Exod. c. 4. v. 15.* quod tale imperium
 circa Sacra habuerit, in propatulo est. Et ita de *Josua c. 1.* le-
 gimus, quod populus Israëliticus, in omnibus obedientiam ipsi
 præmittere, debuerit. Ad quam obedientiam, nos quoque
 Apostol, *ad Rom. 13.* serio hortatur, ut tranquillam degamus vi-
 tam, in omni honestate & pietate; quæ cura, cum Principi in-
 eumbat, ut in pietate vivamus, quid ni cura Sacrorum,
 ad illum pertineret? Præterimus *Davidem*, de quô *c. Paralyp.* 24. legitur, quod ordines 24. Sacerdotum constituerit,
 quosdam Janitores, quosdam Cantores, *Salomonem*, qui de
 officio Sacerdotiò, depositus *Abijaharem*. *Reg. 2. 27.* *Josephia-*
tum, qui reformationem instituit, & Levitas legem docere juf-
 fit.



ſit, in Regno Judaicō 2. Paral. 17. 8. Hiskiam , 2. Reg. 18. 4. & Josiam 2. Reg. 23. 8. ſeqq. de quorum mandatis, circa negotium Religionis ad Sacerdotes & Levitas, multa ibidem extant. Neque praxi Eccleſiae antiqua, hæc ſunt adverſa. Eccleſiaſtica enim monumenta legentibus, liquidò appetat, ab Imperatoribus Christianis, aut omnes leges Eccleſiaſticas latas, aut, ab Episcopis quidem latas, ab illis tamen, vim omnem atque au- toritatem accepiffe. Quod ipsum & Socrates, optimus de Regimine Eccleſiaſticō sub Imp. Christianis Scriptor, in proœ- miō ad L. 5. Hift. Eccleſ. confirmat. Ex illo, inquit tempore, quo Imperatores Christiani eſſe caperunt, Eccleſia negotia, ſtatim ex il- lorum nutu, pendere viſa ſunt. Eadem quoque fuit conſuetudo Gentilium. Hinc Charondas & Zaleucus, multa de Sacris san- civerunt. vid. Stobeus in Eclog. moralib. 42. De duodecim ta- bulis, ſic canit Ausonius:

Jus triplex tabulae, quod ter ſanxere, quaternæ.

Sacrum, privatum, & populi commune quod usquam eſt. Unde & Ulpianus J. C. ita jurisprud. definivit: quod ſit huma- nariumque divinarum rerum, notitia. Ob quam causam etiam ipſe Imperator, primam Codicis partem, de ſacris, publicisque compoſuit.

S. IV. Sed ut imperii hujus Civilis limites, plenius patescant, placet præcipua jura circa ſacra, in ſpecie percurrere, & in quantum ſingula Principibus jure convenientia, ostendere. Ad tria au- tem capita, eadem cum Conringiō diff. de Majest. ejusq. juribus circa ſacra & Profana ſ. XXII. reducimus. I. ad curam circa cul- tum divinum II; ad curam circa Personas Eccleſiaſticas, & III; ad curam circa bona; cultui divino inſervientia. Quod ergo curam, circa cultum divinum concernit, ad eandem primo, Jus reli- gionem introducendi ac reformati, pertinet, quod ipſum, omni Imperii ſtatui, vi pacificationis religiosar, factæ anno 1535. con- ceſſum eſſe, Reinking, lib. 1. claff. 5. de R. S. I. R. c. 4. Arnif. l. 2. Rek

A 3;

pol.

pol. c. 6.5.5. de stat. Imp. Germ. testantur. Et quod jure, praxis omnium temporum evincit. Jus namque hoc, jam olim penes Principes Civiles erat. Sic apud Judæos, ritus Achæe Patris, abolebat Ezechias Filius, quos Nepos ejus restituit Manasses, donec ipsos Nepos Manassis Josias, iterum abolevit 2. Reg. 23. Similiter quoque, Rex Josaphat, Idola & excelsa Baalitica sustulit 2. Paralyp. 17. Quod etiam Ezechias, Josias, & alii fecerunt. Hos, secuti sunt hæc in re Imperatores Christiani, qui Ethnicam Idolomaniam, ex Romano Imperio, prorsus exterminarunt, quod ipsum tituli, de S. Trinitate & fide Catholicâ, de Ecclesiis, de Episcopis, &c. Constitutiones item Leonis, & Novelle Justiniani, nec non Scriptores Ecclesiastici, qui Imp. res gestas litteris consignarunt, interg̃ eos Sozomenus lib. 7. Hist. Eccles. c 12. seqq. fusè testantur. Secundò, Jus Ferias ordinandi. Licit enim ipsa natura doceat, dies quosdam, Numinis divini cultui esse dandos, atque his ab operibus profanis celandum: quantum tamen ritum externum & festivitatem respiciunt, eorum ordinatio, & certi temporis determinatio, ipsius Majestatis Civilis, tanquam nutricii Ecclesiæ, & Provisoris cultuum Sacrorum auditoriat, subiacet. conf. L. qui possit ferias indicere 4. C. de Feriis & L. enumeratio feriarum solennium 7. C. eod. Idque, vetustissimo more. Talis enim festo. iam ordinatio, jure, jam olim Principibus competit. Sic Numa, cum annum in duodecim mentes distribuisset, eundem etiam in certa dierum genera divisiit, ita, ut quidam essent, Festi, alii profesti, alii intercessi. Macrobius l. 1. Saturn. c. 16. Conf. Rosinus l. 4. antiquit. Rom. c. 3. De Feriis & Festis diebus Leonis & Authenii, graphica extat constitutio, in L fin. C. de Feriis. Conf. Gualther. in Chronol. Eccles. Polite. lib. 2. pag. 577. de Imperatore Claudio. Et ita constat, quod ipse DEUS, ordinationem Festorum, non per Aaronem summum Sacerdotem, sed per Moysen, Magistratum Populi Judaici, eidem denuntiarit Lev. 23. Et quod Rex David festos dies ritè celebrandos ordinarit, testatur Eccles. c. 47.

§. V. Ter.



§. V. Tertio, *Jus indicendi Synodos Ecclesiasticas, seu concilia Sacerdotum*, huc quoque refertur. Quod ipsum, quemadmodum in *Veteri Testamento*, penes Principes Civiles erat, proprio officio, ad quod lege, non forensi, nec Ceremoniali, sed *Moralis*, obstringebantur vid, lib. 1. Paral. c. 23. Et l. 2. c. 5. Et 29. v. 5. nec non 1. Reg. c. 8. lib. 2. Reg. c. 10. Et 23. ita neque in *Novo Testamento* iisdem demendum erit. Penes eum enim est haec potestas, indicandi Concilia, qui potest omnes cogere, & vi adigere, ut compareant; ejus quippe est mandare, impetrare, jubere ex auctoritate, qui nolentes imperata facere, punire potest. Sed tale quid, sola *Majestas Civilis*, quae habet potestatem gladii, facere potest. Ergo. Hinc & omni tempore, in primitivâ Ecclesiâ, penes Imperatores hoc jus, veluti historiorum testantur monumenta, extitit. Licet enim primis temporibus, Christiani, Synodos inter se congregare solebant, in consulis Imperatoribus infidelibus; postquam tamen *seculo quarto*, religionem Christianam suscepissent, Synodos convocandi potestas, semper penes ipsos fuit. Sic, *primum concilium Oecumenicum*, in Bithyniâ, Niceâ Anno 325. habitum est, ab Imperatore *Constantino M.* presentibus Episcopis 318, ob Arianam hæresin & dissensiones, propter Paschatos celebrationem, quod Imperator, propria auctoritate coegerit. Digna certè sunt ipsa verba Eusebii, de vita Constantini lib. III. c. VI. Deinceps igitur *Concilium generale*, tanquam quoddam DEI exercitium instruens, in unum locum coegerit, Et Episcopos undiq; per literas bonifice scriptas, ut eò maturarent, accivit. Neq; mandatum duntaxat erat ad banc rem datum, sed in è peragendâ, multum attulit sub fidu, auctoritas Imperatoris, Et nutus; qui nonnullis fecit potestatem, equis publicè ad iter celeriter conficiendum dispositis, utendit. H. I. Conf. Sever. Bin: Tom. X. concil. p. 262. Eandem quoque auctoritatem exercuit, in Concilio, quod Tyri coegerit. Expressa quippe ejus mandata ad Episcopos, quidagere debeant,

extant



extant apud Euseb. l. IV. de vita Constant. M. c. 4. Tyrð, eosdem Hierosolymam avocavit, teste Socrate lib. 1. Hist. Eccles. c. 22. cuius verba hæc sunt: *Post has res gestas, exemplò literæ Imperatoris afferuntur, que significabant, ut concilium mature se Hierosolymam reciperet.* Itaq. Episcopi, nulla interposita mora, Tyro, Hierosolymam properè iter faciunt. H. I. Secundum concilium Oecumenicum, habitum est Constantinopoli, anno 381. ab Theodosio Seniore Imperatore, contra Macedonium, qui Spiritum S. blasphemabat, ejusque Deitatem negabat, cui 150. Episcopi interfuerunt. Tertium, Ephesi habitum est, anno 431. ab Imperatore Theodosio Juniore, contra Nestorium, qui negatà communicatione Idiomatum, ex unâ persona Christi, duas faciebat, in quô Episcopizò. præsentes fuere. Quartum denique Oecumenicum Concilium, celebratum est Chalcedone in Bithyniâ, ab Imperatore Martiano, anno 451. contra Eutych. perversa dogmata, de naturis Christi, Episcopis 630. præsentibus. Et ita etiam sequentia concilia, ab Imperatoribus Romanis, semper suis convocata, Historici eorum temporum, testantur conf: Niceph. l. 8. c. 4. In ipsis autem conciliis, Imperatores etiam causas Sacerdotum judicasse, exactis conciliorum appetet, vid. Euseb. lib. 3. de vita Constantini M. c. 3. Rub. Sibr. de concil. l. 1. c. 2. seqq. & Hugo Grot. lib. de Imp. S. R. circa Sacra c. 7. n. 4. seqq. nec non Zieg. de jur. Majest. lib. 1. c. 15.

§. VI. Quod alterum membrum attinet, curam videlicet circa Personas cultui divino inservientes, & illas quoque, Civili jurisdictioni, non secūs ac alios Reip. Cives subesse, adeoque licitum esse Principi, tum de Clericorum causis civilibus, tum de criminalibus cognoscere ac judicare, in ipsorum mores inquirere, & si poena dignum quid promeritis sint, eandem interrogare, nulli dubitamus. Exempla enim omnium temporum, idipsum probant ac evincunt. Talis namque potestas in Clericos, & in Judicâ, & in primitivâ Christianorum Ecclesiâ, penes Seculares Prin-

Principes erat. Ex Judaicā, Exempla quam plurima, §. III. jam fuere allata, ad quæ propterea relegenda, L. B. eò remittimus, Conf. B. Meiss. part. 3. Phil. Socr. Sezt. 2. c. 2. §. 4. Sub novo fōdere verō, ipse Salvator, Pilatum in se habuisse potestatem à DEO datam, dicit. Job. 19. 11. Et sic quoque Gentium ille Doctor Apostolus Paulus, ad Cæsarem Judicem, à Synedriō Hierosolymitanō provocare, & per consequens, Synedrium hoc potestati politice subjicere, non dubitavit; quemadmodum ex Act. Apost. c. 25. videre est. Nisi autem tale quid optimo jure se factitare S. Apostolus censuisset, citra injuriam scil. ac præjudicium Ecclesie, nunquam fecisset. Nec minus & seculis sequioribus, Imperatores Christiani, tum de Personis ipsis, tum de rebus Ecclesiasticis, tum denique de disciplinâ Ecclesiasticâ, plures promulgarunt leges, veluti ex titulis C. de Clericis, de SS. Ecclesiis, de Episcopali auctoritate, aliisque hujus generis, appareat. Quod ipsum etiam vel inter ipsos modernos Pontificios, jam pridem Rex Gallie, propriâ auctoritate fecit, teste Beccmanno in medit. Polit. c. XVII. Respublica itidem Veneta, tales condidit Leges; veluti. I. de non alienandis bonis immobilibus, per Subditos Laicos, in Personas Ecclesiasticas, citra Principis consensum. II. de non ædificandis Ecclesiis aut monasteriis, eodem Principe inconsulto. III. de facultate judicandi & puniendi Clericos, pro delictis atrocibus. Quæ quidem causa fuerunt, cur Venetiæ Paulo V. A. MDC VI. excommunicarentur: sed quia eâ re magnopere haut affecti, jura sua armis quæsiverunt re tandem amice compositâ, retinuerunt. V. Marc. Anton. Pergrin. Respons pro decreto. Reipubl. Venet. Non raro etiam olim Imperatores, in hæresin' prolapsos Sacerdotēs, judicarunt vid. Socrat. lib. 1. Hisp. Eccles. c. 5. Euseb. lib. 10. Hisp. Eccles. c. 6. Rufin. lib. 1. c. 5. Sozom. l. 1. c. 20. nec non Theodore. lib. 2. Hisp. Eccl. c. 27. Nec desunt Exempla, ubi & ipsos Pontifices Romanos judicarunt. Sic Justinianus secundus, Imperator, Constantinum, Pontificem

tificem Romanum judicavit, teste Anaf. in vita ejus. Henricus IV. quoque, Imperator, A. M. LVII. tres judicavit Pontifices, eosque de Pontificatu deposituit. *Conring. disc. de const. Episc. Germ. § 42. Conf. Reinking. de Reg. Eccles. & Ser. I. I. Clazz. 2, c. 6, n. 10. & 21.*

§. VII. In Specie vero, circa singulorum Pastorum munus, distinguendum esse monemus, inter Electionem eorundem seu vocationem, & Ordinationem. Hac, Principi Politico denegatur, illa vero, eidem conceditur. Quamvis interim non negemus, & quoddam jus circa ordinationem, illi convenire. Est enim ejus leges de aetate ordinandorum, de modo, aliisque praescribere. Quod vero ad potestate eorum spectet cura vocationis, haec evincunt argumenta. I. Quia ejus munera publica est distribuere, qui publicis, summo cum imperio praest. II. Quia prima Principis hac debet esse cura, ut Resp. sit tranquilla & beata. Hanc vero ut assequatur, inmane quantum in Rebus. & Regnis, circa constitutionem Sacerdotum situm est? Sic, ut Populus recte officium suum faciat, ut sit virtutum & Religionis amans, multum interest, quales sint Sacerdotes. Ne talibus igitur regenda committatur Ecclesia, quorum exempli subditi fiant deteriores, Principis cura est. Id autem quomodo praestabit Princeps, nisi in illorum electione, ejus quoque ratio habeatur. Pet. Greg. lib. 22. de Rep. c. 2. III. Si Respublica, salva esse non potest, quae intestinis motibus & seditionibus agitur, ad eas vero vel excitandas, vel reprimendas, multum in Sacerdotibus situm est; utique opera Principi danda erit, ut tales constituantur, qui sint pacis & concordiae amantes, & statum Reip. conservatum velint. Et hinc in primitiva etiam Ecclesia, penes Imperatores, postquam nomen doctrinae Christianae professi essent, semper jus constituendorum Episcoporum fuit. In ipsorum quippe Romanorum Episcoporum electione, Imperatoris auctoritas requirebatur vid. Plat. in vit. Sylv. I. Bonif. II. Sever. I. Pelag. II. aliorumq. Quod ipsum jus, sequioribus quoque seculis habuisse Imperatores, usque ad Greg. VII. pluribus



ribus ostendit rerum harum peritissimus *Onuphrius Panvinius*, in vit. Greg. VII. Plura exempla collecta vide ap. *Conring*. *Diss de Cons Episc. Germ.* §. *XLI*. Solenne tamen est piis Principibus in participium juris hujus exercitii, Presbyterium, & reliquam advocare Ecclesiam, ne invitis auditoribus, Pastores obtrudantur. Proinde sibi præcipuum retinent: nominationem, presentationem, confirmationem; Presbyterio, Examen, Ordinationem & inaugurationem; Populo, Consensum, Suffragium, & approbationem, vel etiam, pro ratione circumstantiarum, Postulationem concedunt. *Conf. Chemnitii Exam. Concil. Trid. P. 2 pag. 227. nec non Reinking l. 3. Clasf. 1. c. 6. de Reg. Eccl.* Quemadmodum verò Electio Ecclesiae Ministrorum, ad Principis curam præ ceteris spectat, ita & coercito eorundem, ad solam illius pertinet dispositionem; quam Augustana Confessionis addicti Principes, hodie per Consistoria sua Ecclesiastica exercent. *Conf. Zigl. lib. I. c. XVIII. de I. P. circa vocat. Ministr. Eccles. §. V.*

§. VIII. Restat jam, quid juris circa bona Sacra, Principes Seculares sibi vendicare possint, paucis adhuc attingere. Ubi tamen statim notamus, quod bonorum Sacrorum appellatione, nec quæ piarum caularum intuitu, bonis Ecclesiasticis olim sunt adjecta, nec forte quæ à Clero possidentur, veniant; (pleraque enim horum, non sunt usui sacro consecrata aut dicata, sed Clerus, vel armis nonnunquam, vel emendo, permutando aut aliis modis eadem sibi comparavit) sed illa, quæ ad cultum religiosum, & personas cultui illi inservientes sustentandas, necessario requiruntur. Qualia similiter imperio Principum secularium subesse, nulli dubitamus. Publicum namque bonum est Ecclesia; quis ergo redditus publicos ordinabit, quam is, penes quem publica, eaque summa, residet auctoritas? Præterea, bona hæc, Ecclesiastica tantum sunt, ratione usus; in se autem, manent res世俗ares, quia sunt de hoc mundo. Assidue tamen hic Principibus cendum venit, ne bona hæc alienentur, aut in profanos usus ver-

tantur, sed ut Personæ Ecclesiasticæ, cæteraque ad cultum divi-
 num spectantia, iis digne conserventur. Quod enim semel Deo
 dicatum est, ad usus humanos, transferendum non est. *Joban.*
Azor. insit. Moral. l. 9. c. 1. § 2. part. 2. Id vero non ita præcise
 obtinet, quasi omnino & nullo casu, bona Ecclesiastica sint aliena-
 bilia; extremâ quippe necessitate, integrum esse, profanâ
 quoque more iis uti, *tum* sacra, *tum* profana docent exempla.
 Sic *Joas.* Syriæ Regi *Hasaeli*, sive tributi ac vectigalis, sive mune-
 ris nomine dedit, quicquid in consecratis bonis reperit 2. *Reg. 12.*
v. 18. Idem in *Hiskie* rebus gestis occurrit, qui *Sanberibô* Assy-
 riorum Regi, propitiandum misit, quantum in Regiō & Sacrō
 Thesaurō, pecunia fuit. 2. *Reg. 18. 15.* Non autem arbitrandum
 est, optimos illos Reges, bona extra potestatem suam posita,
 contrectasse. Nam monuisset procul dubio Propheta *Hiskiam*,
 cum supplici Dei auxilium imploraret, & impetraret. Et ita,
 nec exempla desunt *profana*; quæ plurima egregie annotata vide-
 apud *Grotium* *hb. 3. c. 5. n. 11.* Tres causas vero potissimum, *Zigler.*
c. XX. §. 45. recenset, ob quas res Ecclesia alienari, permisum
 sit. Primo inquit, *iustam alienationis causam* facit, *necessitas*:
 urgens, Ecclesia ære alieno gravata, & instantibus creditoribus. Se-
 cundo, *pietas* in fratres captivos Christianos, quando ii ab hostibus
 aliter redimi non possunt. Tertio, *presens aliqua incommoditas*,
 quando v. e. bona sunt in aliquo loco remotiore, ita ut *damno a magis*,
 quam utilia Ecclesia existant. *Conf. Reinking. lib. 1. classi 1. c. 3.*
n. 4 seqq. nec non *Becman. in medit. Polit. c. 17. §. XXV.* Falluntur
 itaque, quibonâ Ecclesiæ, Principium jurisdictioni eximenda
 esse, contendunt. Neque enim ipsis inservit, quod ejusmodi
 bona, à devotis mentibus, ultimâ elogio, testamento videlicet,
 usui Ecclesiæ consecrata, civili exempta videantur. Eruditè namq;
 adhæc respondet *Conringius*, *diss. Pol. de Majest. ejus q. Jur. circa*
Sacra & Profana. Fieri, inquit, non potest, ut per ultimam vo-
 luntatem suorum bonorum, *absolutum dominium*, in aliud, quis-
 quam



quam privatorum conferre possit, cum ipse, eō non potiretar. Unde, quomodo cunque talia bona à privatis ad Ecclesiam transferantur, jus tamen suum, supremæ potestati circa illa bona, manet illibatum, siquidem publica, privatorum pœnis, mutari non possunt. H. I. Conf. Zigl. l. c. & Job. Fried. Horn. l. 2. polit. c. 3.

§. IX. Atque ita hactenus Imperium circa Religionem & Sacra externa, seu potestatem Jurisdictionis ac Dominii in sacris, jure Principibus Secularibus deberi, breviter, sed satis evictum. Ex quibus, quo jure Pontifex Romanus, sibi solum hoc Imperium, hoc jus, hancq; potestatem vendicare possit, quivis facile judicare poterit. Scilicet nullo alio jure, quam ut impléatur, quod à Daniele prædictum est; futurum esse Regnum, quod esse supra omnem potestatem elevet, omnia mutet, & divinam ordinationem perfundet. Daniel 7. Sed plura de his, aliud occasione reservamus. Quia vero à plurisque Politicis, circa præsentem materiam, inter alias hæc maxime quæstio ventilari solet: Num Princeps illæsa conscientiæ, diversas in una Regione, religiones tolerare possit? nec nos, eandem coloponis loco apponere, pigrabitur. Talis autem hæc est quæstio, de qua, quid Seculi proximi decursu, hæreticæ pravitatis inquisitores senserint, vix sine gemitu, florentissima Gallia, fertilissima Anglia, bellicosa Hispania, & cultissima Belgii Provincia recordatur. Agitabatur namque ibidem hæc quæstio, Syllogismis, non ex Logicorum Regulis, sed ex Carnificum officina petitis, non chartis, sed lacertis, non lingua sed pugna, non argumentis sed armamentis. Et, quamvis Germania nostra, pacatior visa est, non tamen defuit quibusdam turbatoribus voluntas, licet hucusque, per Dei gratiam, defuerit facultas. Sleid. l. 3. & 17. Neque hoc forsitan tempore defunt, qui cum Caligulâ, unam hæreticis cervicem esse, exoptant: Conf. Coster, in prefat. Encbir. contro. de moribus baret, f. 17. Diversas igitur in unâ regione religiones, tolerandas non esse, his probant argumentis. I. Quia hoc primarium Principis est munus, ut vias omnium dissidiorum



ac distractionum civilium, præcludat. At nisi Subditi in Religione prius convenient, frustra hoc intenditur, cum nulla fides ab iis speranda sit, qui perjuri in Deum facti; sed perpetuae contentiones, assidue rixæ, & seditiones creberimæ, ut loquitur Lipsius *adv. dial.* id, quod & experientia satis comprobavit. Quem enim latent exempla, *Pseudoprophetæ Ægypti*, sub Claudiō, de quod *Joseph. lib. 2. Bell. Jud. c. 12. & l. 20. Antiquit. c. 6. Mosis Cretensis*, de quod Socrates *l. 7. Hisp. Eccles. c. 37. Johannis Leidenensis & Munzeri*, de quibus *Sleidan. l. 5. & 10. Osiander. cent. 16. Anton. Corv. Epist. ap. Boxhorn pag. 56. & Camer. P. I. Hisp. c. 83.* Ob quam causam & olim nec Romani, nec Græci, neque Imperatores Christiani, licentiam Religionis tulerunt, id quod leges in hæreticos, latè testantur, & temporum superiorum historiæ. Sic Romani *Leg. 12. Tüb.* caverunt; ne quis separatim coleret Deos. Et Ædilibus, bello Vejentino id negotii dederunt, ne qui, nisi Romani Dii, ne quod, nisi patrio more colerentur, tel e *Livio Deead. 1. l. 4. De Atheniensibus*, refert *Lact. Lib. 9.* quod cum Protagoras, initio Libri cuiusdam, hæc posuisset verba: *De Diis a* sunt an non sunt, statuere nequeo: sunt enim plurima, que illud scire prohibent, quippe summa incertitudo, & brevis homini vita est: ab ipsis urbe pulsus sit, ejusque libri in foro cremati. De Claudio & Augusto Imp. videatur *Sueton. c. 35. & 31. Conf. Heid. Syb. Pol. c. 2. pag. m. 250.* II. Si diversæ Religiones in Republica tolerantur, diversis etiam, & consequenter contradictoriis, eadem regenda erit legibus, quas Majestas tamen, nec condere potest, nec amplecti. III. Quia pari in passu ambulant, omnis Religio & nulla Religio. Rudit enim plebecula, acres illas de summis Religionis capitibus contentiones, & diversum sacrorum cultum animadvertens, sola hominum opinione, veritatem constare censet, ac proinde ad Epicuri castra, plenis contendit cursibus. IV. Quia nil magis à Justitia alienum est, quam transgressores humanarum Legum, puniri gravissime, violatores vero divinarum

rum



1209.

rum legum, honorari maxime; cum tamen nihil in humanis rebus, Religione sit præstantius, ac propterea summa vi eadem defendi deceat. V. Gravissimas DEO poenas, illi Regum & Principum dederunt, qui diversas Religiones tolerarunt: quod probant exempla *Saulis*, *Salomonis*, *Jerobeami*, *Baesa & Achabi*: Plura argumenta, pro hâc sententiâ, vid. ap. *Lips. l. 4. Polit. c. 2, 3, 4. & l. de unâ Relig. contra Dialog. Bodin. l. 4. c. 7. *Tboloz. l. 8. de Rep. c. 2. l. 12. c. 4. Eccl. c. 47. 9. Job. Paul. Windk lib. de heret. extirp. nec non Cunrad. Brun. l. 3. de heret c. 15.**

§. X. Sunt deinde alii, qui contrarium defendant, idque his maximè ex fundamentis. I. Quia cum Religio falsa, in omnibus ferè imperiis potiatur rerum, si una saltem ferenda sit, Ecclesia ex totâ rerum naturâ, penitus exterminabitur. Et hanc causam esse ferunt, quæ apud Chinenses, nostrâ fidei cursum impedit. *Lips. ad 4. Polit. c. 2. contra dialogistam.* II. Quia diversæ Religiones, per se, nullas afferunt mutations & perturbationes Rerum publ. sed tum demum eas incidere, quando Magistratus, suam Religionem, absque judicio & discriminine, reliquis per vim rejectis, pertinaciter tuetur. Id, quod hactenus experientia, plus satis docuit. Sic, quam primum in Germania nostrâ Protestantes imperii Status, liberum Religionis exercitium obtinuerunt, Halytonia sua Germania obtinuit, quæ, ut porro obtineat, Deum supplices rogamus. Hujus enim salutaris sanctionis beneficîo, videmus, Conjuges in Religione quidem dissentientes, Parentes & Liberos diversa Sacra sequentes, Fratres & Sorores in unâ eademq; domo, in plurimis cœlestis doctrinæ capitibus, diversas fovere sententias, in Politicis tamè & domesticis, concordes vivere. *Camerar. part. 1. horar. succis. c. 58.* III. Quia nunquam & nusquam minus, quam armis, Sectæ opprimi potuerunt, quia de re *Erasm. l. 21. Epist. 7. Bruxellis*, inquit, primum exusti sunt duo, tum demum cœpit civitas favere Lutherò. Et pauclo post: Unus aut alter affectus supplicio, quid aliud, quem irri-

tab



tat tam numeroſa factionis animos. IV. Quia tot Principes, felicissimo ſuccetu, diverſas in Republica tolerarunt Religiones. Sic Ammianus l. 20. de Valentinianō Imperatore memorat, iſum hoc moderamine Principatus, inclaruiffe, quod inter religionum diverſitatem, medius ſteterit, nec quenquam inquietaverit, nec interdictis minacibus, ſubditorū cervices ad id, quod ipſe colebat, inclinarit, ſed has partes intemeratas reliquerit. De Henrico IV. Galliae Rege, teſtatur Jac. Aug. Thuanus in prefat. bīſ. ſue, quodeo iſpō, dum Protestantibus in ſuo Regno, quietam permiferit ſedem, Rempublicam labentem, fulciverit. Constantiū denique Magnum, omni felicitate auctum eſſe, quod Christianis, nequicquam reclamantibus Gentibus, permitteret, ut certa statutaque loca haberent, in quibus ſuos conuentus agerent, refert Camerarius part. I. horar. ſucces. r. 58. Conf. Bodinus lib. 21. de Republ. c. 7. qui idem de Theodosio juniore, aliisve teſtatur. Plures hujus opinionis rationes, vide ſis ap. Libenthal. Coleg. Polit. exercit. XIII. queſt. IV. Et Heid. Syst. polit. c. 12.

§. XI. Et haec ſunt præcipua utriusque partis argumenta, quibus expositis, noſtra tandem mens de haec controverſia, exponenda reſtat. Esto igitur haec brevis noſtra decisio. Princeps, aut novam aliquam constituit Reipubl. aut constitutam ab aliis accipit. In recens conſtituenda Republicā, omnibus modis laborare debet, ne Syncretiſmus Religionum introducatur, ſed ut una tantum eademque Religio, ſub ſuo Imperio vigeat, & hinc hereticos in Civitatem admittere, non debet. In Republ. vero conſtituā, quam iſpe non facit ſed inventit, Lex prudentie requirit, ut exemplō Medicorum, qui in gravibus morbis ſæpius plus proficiunt quiescendo, quam movendo, toleret peregrinam etiam religionem, praefertim, ſi externum aliquod periculum violentę eversionis & ejectionis ex provinciā, iſi Ecclesiæ ORTHODOXÆ, aut etiam inevitabilis Politia & Reipub-

Reipublicæ mutatio, metuatur. Præstat enim tunc, ad monitum. Philos. Etb. 3. tolerare minus malum, ad evitandum maius, quemadmodum, qui timet, ne capiti vulnus infligatur, naturali instinctu brachium objicit, quia mavult brachium, quam caput sauciari. Et hinc jam olim, Sectæ illæ Pharisæorum, Saducæorum & Esæorum, junctim vigebant in Judæa, sub adventum Christi, & antea quoqve, sub ducibus Maccabæis, quandoquidem nulla, sine cæterarum periculô, & sanguinis profusione, eradicari poterat. Ita quoqve Theodosius major, et si insensissimus Arianorum hostis esset, eos tamen capitali suppliciō coercere noluit, ob metum majoris mali; sed utrisqve, Arianis scil. & Catholicis, sua tempora concessit, singulisqve in oppidis, duos utrisqve, Religionis Pontifices habere permisit, teste Bodinō lib. 4. c. ult. n. 483.

§. XII. Et hoc ipsum Romani quoqve Imperii Status, tum Protestantes, tum Pontificiū, in Germania prudenter considerarunt, hinc pacem & securitatem, mature sibi promiserunt, ne pars altera, exercitum impediret, vel Religionis causa, bellum susciperet. Forma pacificatoria, referente Sleidanōl. 26. ita se habet. Propter Augustane Confessionis doctrinam, Religionem atq; fidem, Cesar Ferdinandus Rex, cæteriq; Principes atq; Ordines, neminem totius Imperii, quoq; modo violent, nec ad deferendam religionem suam ceremonias atq; leges, quas in sua ditione vel iam instituerunt, vel post bac instituerunt Confessionis August. Socii, mandatis, aut alia quadvis ratione cogant, neve contemnant etiam. Sed banc Religionem illis liberam permittant, simulq; bona, fæultates, vestigalia, possessiones atq; jura, sic, ut pacate eis possint uti, frui. Diffidium quoq; Religionis, non aliis, quam piis, amicis & tranquillis rationibus componatur. Qui non sunt alterutrius Religionis, hac pace non comprehendantur. Nec ignorare id ipsum videntur Turce, qui Religionum diversa genera, in latissimō sud imperio tolerant, neque vim erga hominum conscientias, sicuti in corpora exercent, sed ut ea servituti subjiciunt, ita libe-

rashas, unicuique etie volunt. Hierosolymis enim videre licet, Romanos, Græcos, Armenios, Surianos, Nestorianos, Jacobitas, Georgianos, Maronitas, aliosque, sub uno tecto, separatim sua sacra, & quidem pacatè tractare, licet acerrimum inter illos sit odium. Quo pertinent & ea, quæ Camerarius *part. 1. horar. success. c. 58.* de *Sultano Solymanno*, qui in obsidione Sigeti extintus, narrat. Hic, cum aliquando à Muphti (qui Personam gerit Patriarchæ apud Mahumetanos) & Cadilefcheris, (qui nostros Archiepiscopos representant) atque nonnullis Bassis admoneretur, ut Christianos & Judæos, aliasque Religiones diversas, vele ejiceret, vel cogeret, ut suam fidem profiteantur, eos ex fenestra Palati sui, in hortum variis floribus fragrantem, despiciere jussit, ac despicientibus, unō in loco, diversicolores flosculos simul enatos, monstravit. Cum vero quererent, quid sibi his velit? respondit; quemadmodum ista varietas distincta herbarum & florum, non solum nihil obest, sed mirificè oculos & sensus recreat; ita & in imperio meo, diversa fides & religio, potius usui quam oneri mihi est, si modo pacatè vivant, & in aliis Rebus politicis, mandatis meis pareant. Præstat igitur eos diutius, sicuti Majores mei permiserunt, ita more suò, Religiones suas equi, quam turbas excitare, & imperium meum deformare. Non secus ac si flocculos unicolores tantum relinquerem, & reliquos evellerem. Quid faciem enim aliud, quam ut hortum & pratum, juā nativa elegantia & decoro, potius spoliarem, quam ornarem. H. I. Adducere his insuper possemus, præter tot Excellent. Politic. testimonia, & ipsorum Pontificiorum, veluti Molani, Lib. I. de fid. hæret. serv. c. 2. *Becani*, in disp. de fid. hæret. serv. c. 10. *Molne*, tract. 2. de I. & I. D. *Thome* in 2. 2. quest. 10. art. II. *Cajetani* item, aliorumve, qui omnes hoc in calu, Principem bonâ conscientiâ diversas in una Regione Religiones tolerare posse, concedunt. Sed, quia nimis prolixum foret, omnia ipsorum verba hic apponere, L. B. ad ipsos Auctores remittimus, filiumque hujus exercitii, his ipsius B. C. D. abrumpimus.

BS (O) SE


Königskl., Diss., 1686-94



A

H.

W.M.



Farbkarte #13

	Inches	Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.
1												
2												
3												
4												
5												
6												
7												
8												
9												
10												
11												
12												
13												
14												
15												
16												
17												
18												
19												

1687, 2

C. D.
DE
IO PRIN-
ECULARIUM,
IGIONEM &
ACRA.

io Consensu,
PHILOSOPHORUM
ARDINIS,

In
MIA PATRIA,
disputabunt,
RÆSES,
IUS FUNCIIUS,

S P O N D E N S ,
IDERICUS MÜELICH,
& LL. Stud.

nbr: Anni M. DC LXXXVII.
L. Q. C.

OMONTI,
USNERIANIS.